



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Eduardus Rex. 5. Ianuarii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

Jam ubi æstus culicumque morsus corpus animumque durarunt, & formam illam augustam extinxerunt, prodit è latebris monachum induta, Eunuchum se dicit, Dorotheum apud Macarium nominat. Interea adest soror, & è sorore pellen-  
 dus dæmon. Pellitur à Dorotheo. Sed redit & præstigiis gravidam filiam Anthemii oculis exhibet, simul parentem Dorotheum mentitur. Ilicet hic ad patrem raptatur, inde ad crucē raptandus. At Dorotheus parentibus, & sorore in locum solum abductis, hanc iterum sanat, illis, positâ tantisper personâ, filiam se probat. Mox ad scenam suam revertens eremum, pergit monachos, orbem ludere; dum denique cum omnium plausu castissimam larvam mors detraxit. *Ex Sur. & Men.*

*Indicamus bella peccatis, conflictum vitiiis nunciamus, securi de victoria; quia nec arma caelestia hostes poterunt superare terreni, nec divino Regi adversa poterunt contraire mundana; neque vigilantes & sobrios Diabolus perturbare suis superventionibus poterit.*  
 S. Pet. Chryl. f. 12.

S. EDUARDUS REX. 5. Januarii.

**E**DUARDVM in utero adhuc latitantem fortuna tamen Angliæ Regem legit: firmavit electionem cælum: siquidem in Regem unctus ab ipso Apostolorum Principe memoratur. Conjugio porro, ad quod invitum regni Proceres traxerunt, virginitatem copulavit, pulcherrimo matrimonio. Pater pauperum, filius dici poterat summi Pontificis, ita hunc semper coluit: tributa liberaliter remisit. postquam iis incubare custodē orci Cerberum vidit. Jam nec ad vilis mendiculi po-

B

stulata

stulata erubuit, qui membris suis captus promissam à D. Petro sanitatem asseverabat, si bajulo ad templum Rege uteretur: quin mox in humeros sustulit pium onus, ad aram portavit, stipemque divitem sanitatem addidit. Sed & cæci nonnulli, quâ undâ manus Rex laverat, hac oculis ipsi tenebras eluerunt. Facienti Sacerdoti cum adesset, conspicuus ei ab arâ bene precatus est Christus. Quidvis amore D. Joannis, quem Evangelistam dicimus, rogantibus, nihil visus est unquam negasse. Hanc ille religionem præclare obsignavit annulo suo, dum eum ipsi Divo mendicabulum adsimulanti dono dedit. Hic annulū Regi remisit, simul de mortis horâ commonuit; quem nuncium ille toto mox regno vulgavit, quò preces undiq; piorum cogeret. Atque eo viatico, quamvis suis jam dives meritis, longum cæli iter ingressus est, anno post Virginis partum M. LXVI. & quia nullam corpus animo virgini in vitâ, mors diu nullam etiam corpori in tumulo labem aspersit.

*Ex Surio.*

*Studeant humiles quotidie in humilitatis virtute proficere, imitantes Regem, qui abjecto onere carnalium & regalium indumentorum coram Domini arca nudatus exiliens & exultans uxori sibi objicienti respondit, Ludam, & vilior fiam coram Domino. B. Laur. Just. lib. I. de Humilitate.*

EPIPHANIA DOMINI. 6. Januarii.

Salutaverant jam nuper, inter faustas acclamationes, & cantus festivos Principē suum cælo delapsi cives, aulamque nati Regis quotidie deinceps frequentabant. Sed & orcus rebellis hucusq; metu jam suo venerabatur. feræ ipsæ Dominum suum